

G H W

1 6 2 4





Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia  
sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
teria Physica et Sensibili, quorum singulas singulae etiam conveniunt Disciplinae:  
1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
eodem respectu sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
sua à omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-  
prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserantur, et saltem  
ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-  
sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas  
alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K<sup>o</sup>  
W<sup>o</sup> F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~



22  
SPECIALIS  
METAPHYSICÆ  
DISPUTATIO II.  
*De*  
SUPPOSITO,

*Inprimis*  
DE MATERIALI SUPPOSITI  
QUIDDITATE CONTRA GOSLAVIUM  
PHOTINIANUM DIRECTA,

*Quam*  
Auspice & astite JEHOVA  
*in celeberrimâ*  
WITTEBERGENSIUM ACADEMIA  
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,

Croppenstadiâ Halberstadensis, Facultat.  
Philosoph. Adjuncti,

PUBLICÆ  
*Ventilandam proponit, & defendendam*  
*suscipit*

GEORGIUS Kretschmer/  
Vratislaviensis Sil.

*Ad diem 10. Januar. horis matutinis, in*  
*Collegio Philosophico.*

---

WITTEBERGÆ,  
Ex Typographico CHRISTIANI THAM,  
Acad. Typogr.

---

ANNO M. DC. XXIV.



MEIN NACHRICHT  
VON DER  
STADT

STADT

STADT

STADT

STADT

STADT

STADT

STADT

STADT







SPECIALIS METAPHYSICÆ  
DISPUTATIO SECUNDA,

De

SUPPOSITO.

Æ. 1000.

**Q**uomodo *substantia Incompleta* in ratione subsistendi se habeat; quomodo sit communicabilis per modum partis, in antecedente disputatione determinatum est; nunc de *substantiâ completa*, eâq; primâ & individuâ porro disquiramus oportet; quomodo nimirum hæc se habeat *in ratione & modo subsistendi*: In primis verò, quomodo *constituatur suppositum & persona*. Quod ipsum paulò altiùs, eoq; accuratiùs attentabimus, cum Photiniani hodiè multùm defudent Suppositi & Personæ rationem depravare, exindeq; articulos Fidei, de Trinitate personarum divinarum, itemq; de Personâ Christi, labefactare satagant. *Adamus Goslavius à Bebelno, nobilis Polonus, Photinianus*, prolixè scriptitat de *Ratione Personæ contra Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Mart. Præcept. meum honorandissimum*, ubi in disputatione quadam, refellere conatur ea, *quæ in lib. 2. de Trib. Elohim à Dn. D. Jac. Mart. posita erant atq; disputata de Supposito & Persona*. Et licet Goslavius istius argutiæ fatiis superq; sint refutata, naturaq; suppositi & personæ sufficienter & perspicuè sit demonstrata *in disput. Apologetica Dn. D. Jac. Mart. nuper editis & Goslavius oppositis*; tamen & nos hac vice, quantum per ingenii tenuitatem, & per variorum impedimentorum confluum licebit, de his ipsis terminis, nempe *de Supposito & Personâ*, commentari voluimus, ut veritas eò magis illustretur, & falsitas detegatur ejiciaturq;. Et primùm in hac disput. *de Supposito, ejusq; materiali quidditate* dicemus. Faxit Jehova ut omnes hæ nostræ meditationes cedant in veritatis amplificationem, & in ipsius divinæ Majestatis gloriam. Sit itaq; cum bono Deo

THESIS I.

**I**n primis observandum pono, quod *Substantia* dicitur *Completa vel secundum esse Essentiæ vel secundum esse Existentiæ*

A 2

stentia



*Duplici modo substantia dicitur completa.* *stantia seu Subsistentia.* Et hoc ob diversitatem *actus*, qui est vel *Essentia* vel *Subsistentia*, uti supra disp. 9. thes. 17. confirmavimus.

II. Priore modo *Completa* est omnis illa, quæ in *ratione Essendi* est *Ens completum*, adeoq; in ordine *Substantiarum* certam speciem absolvit: scilicet *essentiam completam*, obtinet omnis illa *substantia*, quæ habet *essentiam totalem*, in sese *terminatam*, suisq; *principiis essentialibus & substantialibus* in *determinatâ specie constitutam*. Sic omnis *substantia Prædicamentalis* (directè seu in *lineâ rectâ* in prædicamento *substantiæ* posita) est *completa*.

III. *Substantia completa secundum esse subsistentia* voco illam, quæ in *ratione existendi* per se & in se *independentè* aut *incommunicabiliter* subsistit. Et hæc gaudet nomine *SUPPOSITI*: itemq; appellatur *PERSONA*, si illud esse *subsistentiæ completum* est *naturæ intelligentis*, de quibus ut porro disquiramus, nimio perè interest. Sed ita ut de *supposito & persona creatâ* hic nunc *disputatio* omnis instituat. Nam de *increatâ*, ex *naturâ* non adèdè possumus *disputare*: quomodo tamen *applicatio* fieri possit, infra *monetur*.

IV. Et primò quidem apud omnes certum est, quod *incomplete substantiæ non sint*, nec *dicantur supposita*. Istæ enim in alio, nempe in toto, subsistunt, & per modum partis sunt *communicabiles*. Quis enim *in materiam primam* diceret *suppositum*, quæ tamen est *vera substantia*? scilicet illa uti est *incompletum ens*, ita etiam *incompletam* habet *subsistentiam*.

*Suppositum* V. *Suppositum* autem ubiq; & solum dicitur de *substantiâ per se subsistente & completa*. Rectè monet *Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 8. q. 5. sect. 3. per SUPPOSITUM* primos hujus *nominis impositores significare voluisse ultimum quippiam, & quod*



quod nulli inferiori determinatiori, prædicationis subjecto per modum formæ informantis communicari possit.

V I. Et hoc ipse adversarius Goslavius non diffitetur: quin imò partim ex *Etymologia verbi*, partim ex *Scholasticis* idem inferre atq; probare conatur. part.1. disput. cap.4. *Etymologiam*, inquit, *verbi* (Suppositi) si expendamus, derivatum est *Suppositum* à verbo *suppono*, nempe quod ceteris rebus supponatur, ideoq; ultimum rerum est. Item ex *Suario* disp.34. sect.3. notat, quod *suppositum* propriissimè & formalissimè acceptum, & quatenus est *suppositum* in ratione sua includat, quod ultimò sit *terminatum*. Mox inde concludit: *Suppositum Scholasticis* idem esse, quod *Aristoteli* est *ultimum subjectum*, s. *Metaph. cap.3.* quod *suppositum* omnibus subsit, quodq; propriè & maximè sit *substantia*.

V II. Quæ omnia rectè se habent, si de *universo supposito* (non de eius præcisâ ratione & formalitate tantùm) *materialiter*, *concretè*, & *secundum rem accepto*, sumantur. Etiam nos illa libenter acceptamus & principii seu fundamenti loco tanquam certa & utrimq; concessa ponimus atq; supponimus. Ex concessione Goslavi ponuntur duo principia.

V III. Duo inde elicio *regiōna*. I. *Non omnis Substantia denominatur Suppositum*, vel: datur quædam Substantia, quæ non dicitur *Suppositum*. 2. *Nec omnis subsistentia constituit Suppositum*. Utrumq; infallibiliter & quàm planissimè deducitur ex ratione *substantiæ Incompletæ*, quæ per se pars est alicujus *Compositi*, adeoq; in eo *dependentè* subsistit.

I X. Prius adhuc inclarescit *ex substantiâ absolutè sumtâ*, *Confirmatur prius*, & tanquam commune quiddam, cuius ratio sanè declaratur *per proprietatem subsistendi in se*, ita ut *substantia*, quatenus talis, sit res incommunicabilis per modum *inhærentiæ*, uti *suprà in disput.1. hujus partis specialis annotavimus*.

X. Imò nec *individua quævis aut singularis substantia* statim.



Atim denominatur Suppositum, ut: *hac materia, hac forma sunt substantia prima, nec tamen appellantur Supposita.*

Confirma-  
tar poste-  
rius.

XI. Posterius fit manifestum ex *subsistentia* communiter & generatim sumtâ, quæ Inhærentiæ seu Inexistentiæ in alio sistentante opponitur; *juxta quam substantia, quatenus talis est, dicitur per se esse & non in alio; ita ut omni substantia conveniat illa subsistentia.* Deinde planior res est de *subsistentiâ incompletâ*. Hoc enim ipso, quod *incompleta* est, pars esse potest, ideoq; illi non repugnat communicatio per modum partis.

Incompleta  
substantia  
duplex.

XII. Ubi rectè docet Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Mart. in *part. Metaph. l. 2. sect. 5. thes. 61.* subsistentiam esse posse incompletâ vel ex se & intrinsecè, vel ex accidente & ratione status.

XIII. *Priore modo* animæ rationalis vel materiæ primæ subsistentia incompleta rectè dicitur: Atq; propterea *sive anima hominis sit in corpore, & illud informat, sive ab eo separata existat, semper ejus subsistentia incompleta, semperq; communicabilis*: ideoq; post separationem non habet aliquem modum positivum, communicationi repugnantem. Et propter causam etiam hanc suppositum propriè ita dictum non est.

XIV. *Posteriori verò modo* incompleta est *subsistentia partis aquæ*, quando alteri parti unita est. Tantum enim propter statum proprio & incommunicabil. termino non est terminata. Atq; propterea si separetur, talem acquirit terminum, nec non verum suppositum est, habens subsistentiam completam.

Substanti-  
am non per-  
tinere ad  
formalem  
suppositi ra-  
tionem pro-  
batur.

XV. Quibus omnibus positis & suppositis nunc ita progredior, talemq; formo & firmo discursum:

*Quicquid per se commune est omnibus substantiis tum Incompletis, tum Completis; id nequit formaliter Suppositum constituere, nec ejus quidditatem seu rationem potest absolvere.*

*At verò ita se habet essentia & natura substantiæ:*

Ergo



*Ergo essentia & natura substantia nequit suppositi rationem  
constituere.*

XVI. Ultraq; præmissarum est certissima. Major constat exinde, quia quod commune est aliis, non distinguit rem ab aliis. Ergo neq; distinctam quidditatem, neq; distinctam nominationem pariet. Deinde è dictis constat, quod *suppositi nomen non conveniat incompletis substantiis*. Ergo fieri non potest, ut id, per quod constituitur Suppositum *in esse*. *Suppositi*, conveniat incompletis substantiis. Ubi enim constitutum, vel, ut *κατ' ἀναλογίαν* hinc ita loquar, formatum non est, ibi nec forma seu ratio constituens erit.

XVII. De *Minoris veritate* quis dubitabit? Sanè non tantum Completa substantia est Ens verum & reale, sed etiam incompleta, ut: *Anima hominis omnino habet essentiam veram & realem*. Et quia substantiæ sunt, naturam & essentiam substantiæ habeant oportet.

XVIII. Ita q; hoc certum est & immotæ veritatis, quod *Suppositi ratio & quidditas non consistit formaliter in essentia substantia, seu in τὸ ἐσσε naturam*, hoc est, *formalis ratio Suppositi non constituitur per Substantiam vel naturam*: Ergo *nec ultima suppositi actualitas queri debet in esse substantia, aut in esse natura præciso*.

XIX. Ergo & hoc ratum erit, quod *essentia substantia* An substantia sit Ge-  
*aut natura saltem ad MATERIALEM ET COMMUNEM* nia sit Ge-  
*SUPPOSITI QUIDDITATEM* pertineat. Meritò igitur nus suppo-  
disquiritur, quomodo Natura aut essentia substantiæ se ha- siti.  
beat ad suppositum constituendum: *An tanquam GENUS*  
*(differentia enim nequit esse)* an verò *tanquam SUBJECTUM*  
*commune*.

XX. *Goslavius*, adversarius noster, vehementer conten- Goslavius  
dit in *i. part. disput. de personâ. cap. 4.* quod substantia sive na- affirmat.  
tura eo modo ingrediatur definitionem Suppositi & Perso-  
næ, quemadmodum ea, quæ sunt in primo modo per se, ita  
at sub-



ut substantia sit verum Personæ & Suppositi genus, non verò ita, quo subiectum ingreditur definitionem sui καὶ ὅς, quod de eo dicitur in secundo modo per se.

Error Gos-  
lavi.

XXI. Sed vehementer errat noster Goslavius, uti ex disput. Apologeticis Rev. Excell. Dn. D. Jac. Mart. contra Goslavium scriptis satis superq; constat. Ubiq; confundit modum Entis cum ipso Ente. Non attendit, quod suppositum directè non sit in serie prædicamentali, sed saltem ad seriem prædicamentalem substantiarum reducatur, ut modus & terminus ad id, quod ultimò terminat in ratione existendi. Frustrà ergo exinde quærit verum Suppositi genus.

Distingua-  
tur inter  
Suppositum  
Concretum  
& Abstra-  
ctum.

XXII. Ut verò falsitas istius opinionis Goslaviana magis magisq; appareat, hîc distingues inter acceptionem Suppositi, qua sumitur vel materialiter & formaliter, item in concreto vel abstracto.

XXIII. *Concretivè sumtum Suppositum* includit 1. substantiam seu naturam tanquam suum subiectum, cum quo quasi concrevit. 2. subsistentiam independentem & ultimam, quæ dicitur Suppositivitas. Non secus ut aliàs concreta se habent, & compositum significandi modum significant.

XXIV. *Suppositum abstractivè sumtum* est ipsa suppositivitas, seu ipsa ratio formalis, per quam Suppositum dicitur Suppositum, & per quam constituitur. Simili modo etiam *de Persona* statuendum est, quod sumatur vel concretè pro re, quæ denominatur persona; vel pro personalitate, propter quam, ceu formam abstractam, aliquid dicitur persona, ut mox infra disput. seqq. dicetur.

XXV. Quæ *distincta Suppositi consideratio* & usurpatio, quia *primarium & immotum* continet fundamentum dicendorum *de Suppositi & Personæ quidditate*; igitur hîc paucis confirmanda erit & explananda. Primò ipse *Suarez*, cuius auctoritati sæpè innititur Goslavius in *disp. de Persona*,  
part. 1.



part. I. distinguit inter *Suppositum concretè sumtum*, & *suppositivalem abstractè sumtam*, ut passim apparet ex disp. 34. Ergo & nos ex *Suarezii autoritate*, firmiter possumus contra *Goslayium* argumentari.

XXVI. Ita verò *Suarez* expressè scribit in illa disput. 34. sect. 5. n. 61. *Atq; ita facile constat, quid dicendum sit de* *SUBSISTENTIA ipsâ IN ABSTRACTO sumtâ*. Nam generalim loquendo de *racione illius tantum est illa incommunicabilitas, quæ opponitur inherentiæ seu existentia in alio sustentante*; loquendo verò in particulari de *SUBSISTENTIA COMPLETA, quæ in rebus creatis semper est SUPPOSITIVITAS vel PERSONALITAS (NB) illa potest dici aliquo modo communicabilis ut quod, Incommunicabilis ut quo*. Illa enim quatenus est *ACTUS quidam NATURÆ, cui adjungitur (NB adjungitur naturæ) communicatur illi*. Et hoc sensu dicitur *communicabilis ut quod*; constituit tamen rem omninò incommunicabilem, tum per modum formæ inherentis, quatenus *subsistentia est*; tum etiam per modum partis, quatenus *completa est, & hoc modo dicitur Incommunicabilis ut quo*. Unde consequenter habet, ut etiam *ut quod, sit incommunicabilis aliis rebus, præterquam suæ naturæ, & ut illi etiam non sit communicabilis per inherentiam, sed per intimam quandam MODIFICATIONEM*. Quibus verbis omninò distinguit *Suarez* inter concretum & abstractum *Suppositi*. *Suppositivitas* in se est abstractum; sed hæc *adjuncta naturæ* facit concretum, vel aliquod compositum ex naturâ & *suppositivitate* superadditâ.

XXVII. Similiter ibidem *disp. 34. sect. 5. n. 58. passim notat Suarez, quod Suppositum (intellige concretum) duo in se contineat, NATURAM & SUBSISTENTIAM, & quidem ita, ut statuat hanc separari posse manentibus in naturâ accidentibus; Subsistentia verò illa est Suppositivitas, uti è præcedentibus verbis innotuit.*

B

XXVIII.



XXVIII. Notanter etiam ibidem monet, quod *Suppositum propriissimè ac formaliter, quatenus Suppositum est, in ratione suâ includat, quod sit ultimò determinatum.* Quibus verbis reduplicativè de Supposito sumtis omninò hoc vult indicare Suaretz, id quod consideratur *ut Suppositum*, etiam posse aliter considerari sine illâ suppositi ratione, & extra illam rationem Suppositi. Quod si verò illud ipsum sub ratione & modo Suppositi accipiatur, tum præcisè hoc habeat peculiare, quod sit ultimò determinatum, nempe ita, ut amplius cum alio non communicetur, neq; ab alio dependeat, sed in se sit determinatè, & subsistat independenter.

XXIX. Itaq; aliud Suario est *ipsa res sive substantia*; & aliud *substantia sub ratione Suppositi* accepta, quæ ratio nihil aliud est, quàm *Suppositivitas*, qua ita determinatur substantia, ac ita independenter & absolutè subsistit, ut colligit Dn. D. Jac. Mart. in suis disp. apol. disp. 3.

Fonsæca distinguit inter Naturam & Suppositum.

XXX. Suario consentit *Fonsæca*. Nam & hic distinguit inter Suppositum concretè sumtum, & suppositivitatem abstractè acceptam, quod ipsum *ex lib. 5. Met. c. 8. q. 5. sect. 3.* colligitur, ubi ita concludit: *E dictis patet, non idem esse Suppositum atq; naturam, & quâ ratione ea inter se distinguantur, tamen si adhuc non constet, quidnam sit illud, quod Suppositum addat naturæ, quod inferius discutiendum est.*

XXXI. Hoc scilicet vult dicere *Fonsæca*, se demonstrasse naturam & suppositum arctissimè quidem cohærere, non tamen planè idem esse, cum suppositum aliquid superaddat adhuc naturæ, quo illa Suppositum denominetur, licet è dictis ipsius nondum constet, quid illud sit, quod naturæ superadditur à Supposito.

XXXII. Etiam è præcedentibus verbis suprâ citatis *Fonsæcæ* hoc idem elicitur, ubi dicebat, *per Suppositum primos hujus nominis impositores significare ultimum quippiam.* Sanè hoc est *Suppositum*, id est, *res per suppositivitatem determinata*, & sic per



fic per eam denominata. Ut autem *aliud est formatum, & forma ipsa*, per quam formatum est & dicitur, sic etiam hoc loco *aliud est Suppositum concretè sumtum, & suppositalitas*, per quam Suppositum est & dicitur.

XXXIII. Et ita recentiores Metaphysici omnes, si qui sunt accuratiores, semper distinguunt *inter naturam & Suppositum*, item in Suppositum concretè sumtum & abstractivè. Confer inprimis Scheibl. lib. 2. Metaph. cap. 2.

XXXIV. Præterea etiam probari potest *illa distinctio* <sup>probat</sup> *Suppositi*, quod sit *bona & necessaria* hoc modo. *Quicquid* <sup>acceptio</sup> *tanquam modus ex parte rei distinctus denominativè prædicatur* <sup>suppositi</sup> *, illud revera est concretum. At Suppositum ita prædicatur* <sup>concretiva</sup> *de naturâ sive de substantiâ completa. Ergo Suppositum revera & abstra-* <sup>ctiva.</sup> *erit concretum.* Major constat, quia modus ex parte rei distinctus facit compositionem realem, indeq; in concreto prædicatur. Ergo etiam ejusmodi modus realis faciet concretionem cum suo subjecto, de quo denominativè dicitur. Quemadmodum enim omne accidens concrevit cum substantia sua, indeq; denominativè prædicatur, ut album de corpore, doctum esse de homine, &c. Sic etiam suo modo, juxta analogiam aliquam, modi reales concrevunt cum suo subjecto. *Minor* probatur, quia suppositalitas est modus substantialis, nempe substantia ultimata, & communicatur naturæ seu subjecto suo per modificationem, ut jam ante ex verbis Suarezii audivimus, & infra dicemus fusiùs.

XXXV. Quocirca stat hoc certissimum, quod *vox Suppositi sit concretiva*. Summatim ergo dicamus de voce *Suppositi*, quod *inea*, ut in omni concreto seu denominativo <sup>notanda.</sup> tria possint notari. 1. Forma denominans, seu ipsum abstractum, quod est suppositalitas. 2. Denominatum, nempe ipsum subjectum, quod à suppositalitate tanquam à formâ abstractâ denominatur, id est *natura seu substantia completa*, uti mox porro probabitur. & 3. ipsum concretum seu denominativum,



tivum, nempe quod & denominatum & ipsam formam denominantem includit. Et hoc est *Suppositum universum & totaliter sumtum*, quod ex natura seu substantia (tanquam ex re denominata) & suppositalitate (tanquam ex forma denominante) per concretionem seu conjunctionem realem quasi est conflatum. Non secus ac quando dicitur *dependens, figuratum, locatum*, ibi concreta illa vocabula involvunt tum rem ipsam seu suum subjectum, quod dependet, figuratur, locatur: tum *abstractam formam*, qua ens illud denominatur dependens, figuratum, locatum. En nunc & ita *Suppositum concretè sumtum* est *quasi totum includens subjective ILLAM REM*, qua denominatur suppositum, & *RATIONEM PROPRIAM*, qua Suppositum dicitur & est Suppositum, uti supra thes. 23. 24. innuimus.

XXXVI. Hisce observatis nunc facilius apparebit, quomodo *Natura seu substantia* se habeat ad suppositum in ultimâ propriâ actualitate sumtum. *An sit verum genus suppositi*, uti Goslavius disputat loco supra citato. (*Natura seu essentia substantiæ si generaliter accipiatur, prout etiam incompleta ratione essendi substantia dicitur verè substantia, res est expedita & satis plana. Sed quia, si probatum fuerit, planè essentiam substantiæ non esse genus verum suppositi & Personæ, facile id ipsum de quavis substantiâ singulari & primâ etiam completâ dici poterit.*)

Substantiam non esse genus suppositi probatur.

XXXVII. Sic primùm dico:

*Quicquid est genus concreti, etiam est genus abstracti;*

*Atqui Substantia non est genus abstracti suppositi,*

*Ergo Substantia nec erit genus Concreti Suppositi.*

Argum. 1.

Major, ut puto, est certissima. Sic quod est genus corporei, etiam est genus corporis; quod est genus albi, etiam, est genus albedinis. *Ratio est, quia concretum ratione suæ essentia & formæ propriæ est ipsum abstractum, & est in eodem predicamento cum forma abstracti.* Ergo concreti genus debet



bet quæri & desumi ex illo prædicamento, hoc est, ex illo genere entium, in quo est abstractum. Et sic *necessario habent idem commune genus Abstractum & Concretum*. Ergo firma est major. Et quid? *concretum propriè non habet genus*, nisi quatenus abstracti genus ad se derivat modo sibi proprio.

XXVIII. Adde quod *Major* etiam ita converti possit, ut fiat manifestior consequentia in primâ figurâ hoc modo. *Quicquid non est genus Abstracti, etiam non est genus Concreti*. Quia scilicet tota propria essentia concreti, est abstracti essentia. Sic quod non est genus fortitudinis, nec est suo modo genus fortis; quod non est genus Logicæ, nec accommodari potest instar generis ad Logicum.

XXIX. *Minor* exinde probatur, quia *abstractum Suppositi est Suppositalitas*. Hujus sanè abstracti genus nequam est substantia. *Suppositalitas* enim est *modus & terminus ultimus substantiæ*, ut ex Scholasticis hujus vocabuli primis inventoribus est perquam notissimum, imprimis etiam ex verbis Suarii & Fonsæcæ modò citatis, & alibi passim; quod ipsum infra etiam fusiùs constabit. Sanè quis dicet, quod substantia sit genus modi alicujus. Anne modus est verum ens reale, ut sit per se sub certo genere? Anne Suppositalitas est species substantiæ? fortè juxta Goslavium erit vel corpus vel spiritus. Sed quicquid dixerit, absurditatem non evitabit.

XL. Ita insuper colligimus ab absurdo:

*Quicquid habet verum genus, illud est distincta determinata species.* Argum. 2.

*At juxta Goslavium Suppositum habet verum genus:*

*Ergo juxta Goslavium Suppositum erit distincta determinata species.*

XLI. Conclusio est falsa. *Suppositum* enim, ut *Suppositum*, est *transcendens*, & pervagatur omnes substantiarum species. Non enim in hac specie tantùm, utpote humanâ, vel



leoninâ, vel equinâ, &c. dantur supposita; sed insuper in  
omni specie corporum. Sic cælum est Suppositum, sic fer-  
rum in se subsistens est suppositum: sic elementa omnia ex-  
tra mixtum corpus existentia sunt supposita. Immo ipsi an-  
geli sunt supposita. Ergo *suppositum, ut sic, non est certa & de-*  
*terminata species.*

XLII. Quod si quis putet, *Suppositum contractum* fortè  
esse speciem distinctam, is videat, quomodo non ex omni-  
bus speciebus substantiarum absurdissimè faciat unam speci-  
em. Nam *suppositalitas absolutè sumta, & hæc contracta sup-*  
*positalitas* non differunt formaliter & quidditate propriâ.

XLIII. Et quid? *Si species certa sit Suppositum contra-*  
*ctum, aut erit corpus aut spiritus?* Aliæ enim species substan-  
tiæ, quæ sub complexu harum non comprehendantur, hæc-  
enus in scholis Logicorum sunt inauditæ, neq; aliæ substan-  
tiæ dari possunt, quæ non sint vel corporeæ, vel incorporeæ,  
adeoq; spirituales.

XLIV. Si dicas *Suppositum specificè esse corpus.* Quomo-  
do spiritus erit verum Suppositum? An species opposita et-  
iam revera dici potest de alterâ specie?

XLV. Breviter ita concludo:

*Supposita contracta ratione suppositalitis formaliter ha-*  
*bent eandem quidditatem & definitionem,*  
*Supposita contracta ratione suppositalitis sunt species de-*  
*terminata distincta.*

*Ergo quedam species determinata & distincta formaliter ha-*  
*bent eandem quidditatem & definitionem.*

XLVI. Absurda est conclusio. Inferatur ita:

*Quæcunq; formaliter habent eandem quidditatem & defini-*  
*tionem, sunt unum species,*

*Quedam species determinata & distincta formaliter habent*  
*eandem quidditatem & definitionem,*

*Ergo quedam species determinata & distincta sunt unum spe-*  
*cies.*

XLVII.

*Absurda ex  
opinionem  
Goslavii  
colliguntur.*



XLVII. Absurdum & hoc est. Vide quid dicas:

*Quæ sunt unum specie, non distinguuntur specie;*

*Quædam distinctæ species sunt unum specie,*

*Ergo quædam distinctæ species non distinguuntur specie.*

XLVIII. Absurdissimum. En *speciem distinctam*, quæ non est distincta species. Et sanè tantum absurdum non potest non sequi ex *Goslavianâ* opinione, si dicatur, quod *Suppositum* sit species certa. Non enim negari potest, quod *omnia supposita ratione supposita litatis habeant eandem quidditatem formaliter*. Ubiq; enim in omnibus suppositis unica est ratio suppositalitatis, videl. *hæc subsistentia incommunicabilis*, quæ omnia, quæ vera sunt supposita dicuntur independenter subsistere, nullo alio sustentante, uti mox infrâ constabit.

XLIX. Quæ *formaliratione*, si *substantia completa*, quæ *supposita dicuntur*, constituentur in esse certo specifico, ita ut *certa species fiat suppositum per supposita litatem illam*, jam certissime una species, & unum specie, erunt omnia illa, quæ sunt *supposita*, quod absurdissimum.

L. Unde tandem licet concludere. *Omnia Supposita sunt unum specie*. Ergo *corpus & spiritus sunt una species*. Ergo *omnes primæ substantiæ, adeoq; omnes species substantiarum, erunt una species*. Absurdissima absurda. Ergo absurdissima erit illa assertio, quod *Suppositum sit certa species*.

LI. Quæ cum ita sint, necessum est, ut & hæc *Goslavi* opinio sit absurdissima, qua dicit *Suppositum habere verum genus*. Scilicet negari nequit, omne genus constituere certam speciem cum suâ differentiâ, adeoq; id, quod habet genus, habebit differentiam specificam, & ita erit certa species ab aliis distincta.

LII. Sed ad alia. In specie de *substantiâ primâ*, eâq; *com-* substantia  
*pletâ* sic habe. primane-

*Quicquid facit realem compositionem cum substantiâ primâ* quit esse ge-  
*completâ, ejus genus non est substantia primâ completa.* nus Suppo-

*Atqui sit.*



*Atqui Suppositum facit realem compositionem cum substantiâ primâ completâ.*

*Ergo Suppositi genus non est substantia prima completâ.*

LIII. Major exinde probatur, quia genus ex parte rei non distinguitur à specie sive ab eo, cuius est genus, sed realiter est unum idemq;, & etiam ex naturâ planè idem dicit essentialiter, quod est species. Ergo nequit genus realem facere compositionem in suâ specie, hoc est, in eo, cuius est genus.

LIV. Minor infrâ probabitur, ubi ostendemus, quod Suppositum aliquid realitatis & modum positivum superaddat nature, sive substantiæ primæ completæ.

LV. Possumus deniq; etiam ita concludere,:

*Suppositali-  
tas realiter  
potest sepa-  
rari à sub-  
stantiâ pri-  
mâ.* *Quicquid realiter separari potest à primâ substantiâ, & sine quo etiam completâ in essendo substantia in natura rerum existere potest, illius genus non est substantia prima completâ.*

*Ita verò se habet Suppositum vel suppositalitas:*

*Ergo Suppositi vel Suppositalitatis genus non est substantia prima completâ.*

LVI. Major probatur, quia genus nequit conservari sine specie. Sic impossibile est, ut animal realiter existat separatum à sua specie, utpote ab homine vel à bestiâ. Scilicet genus planè identificatur cum essentiâ speciei. Similiter nec species unquam existere potest sine suo genere.

*Dantur  
substantiæ  
primæ com-  
pletæ in es-  
sendo, que  
non habent  
propriam  
suppositali-  
tatem.* *LVII. At verò mixtorem confirmant varia exempla, ubi dantur permultæ substantiæ primæ completæ, quæ non habent ultimam illam subsistentiam, ut planè independenter subsistant, & propriâ gaudeant suppositalitate. Sic elementa in mixtis corporibus sunt substantiæ primæ, & tamen ab ipsis realiter est separata suppositalitas propria, ita ut sine propriâ subsistentiâ subsistant in corpore mixto. Sic ignis in ferro candente est verus individuus ignis, revera existens in natura, adeoq; etiam est substantia prima, eaq; etiam completâ, in essen-*



in essendo, & tamen *iste ignis est ibi destitutus proprio supposito*, & in alieno existit supposito, nempe in subsistentiâ ferri. Ex quibus facile constat, quod *suppositio aliter realiter separari possit à substantiâ primâ, etiam completâ*, ita ut hæc ex parte rei realiter existere possit sine proprio supposito.

LVIII. Quocirca concludimus, quod *neq; essentia substantiæ latè dictæ, neq; natura singularis quævis, neq; substantia prima completa, esse possit verum genus Suppositi sive Personæ*, id quod contra Goslavium erat demonstrandum.

LIX. Alteram ergo sententiam ceu veriore[m] arripimus, qua statuitur *substantiam esse SUBJECTUM Suppositi* & *sententia de Personæ*, ita ut substantia in secundo modo per se dicatur de *Materiali Supposito & Personæ*; non secus ac aliàs de propriis affecti-<sup>suppositi</sup>onibus seu proprietatibus prædicantur substantiæ, ut si dica-<sup>quidditate.</sup>tur: quantum est corpus: finitum est creatura: unum est ens, naturale est corpus mobile, &c.

LX. Esse vero *substantiam Suppositi subjectum*, partim è *substantia* dictis innotuit, ubi è Suariorum & Fonseca audivimus, quod *est subje-* *suppositio aliter adjungatur natura*, hoc est, substantiæ, quod *estum Sup-* *communicetur natura*; quod *sit actus ejus*; quod *per modifica-* *positi ab-* *tionem substantiæ uniatur*; quodq; *ipsi superaddatur*: partim *abstractè sum-* *ti.* *apertissimè constat, cum suppositum, quatenus suppositum,* *fit ultimus terminus substantiæ completæ.* Et uno verbo, *suppositio aliter est modus substantiæ primæ seu nature.* Quis autem ignorat, quod *modus sit alterius modus, & ita quidem* ut illud sit *subjectum modi.*

LXI. Ita breviter argumentamur: *Quodcunq; denominative actuat & intrinsecè determinat substantiam, illius sub-* *jectum est substantia.* *Probatür  
Syllogismo.*

*At Suppositum abstractè sumtum denominative actuat, & intrinsecè determinat substantiam.*

*Ergo Suppositi abstractè sumti subjectum est substantia.*

LXII. Major est certa. Actus enim talis ita superaddi-  
tur,

C



tur, vel ita supervenit substantiæ, ut non sit essentia substantiæ, nec ingrediatur essentiam substantiæ. Ergo est extra essentiam ejus. Et quia recipitur in illâ substantiâ, & intrinsecus unitur eam substantiâ, jam omnino substantia habebit rationem subjecti, respectu illius superadditi actus, qui est suppositivitas.

LXIII. Minor negari nequit. Suppositivitas enim ultimo perficit esse substantia in ratione existendi. Ergo est ejus actus, & quidem non est essentialis actus, sed extra essentialis, qui quasi concrevit cum substantia: Indeq; & denominative dicitur de substantia. Sic dico; suppositivitas est substantia, non proprie est substantia, ut fufius infra constabit. Deinde tamen iste actus, quem suppositivitas substantiæ superaddit, manet unitus cum substantia. Ergo ejus subjectum fit substantia.

*Autoritate Suaretzii.* LXIV. Huc facit discursus Suarii, quando disp. 34. sect. 4. n. 45. ita colligit. *Ultimo potest inquiri, an personalitas comparetur ad naturam, ut actus intrinsecus vel extrinsecus ejus. Ad quod facilis est responsio. Si enim (pergit Suaretz) intrinsecus dicatur actus essentialis, sic personalitas non est intrinseca natura; quia non est essentia rei. Alias non posset ab illâ distinguui, quia nihil magis est idem, quam essentia rei. Potest autem Personalitas dici intrinseca natura, vel quia illi intimè est conjuncta, vel quia ex natura rei illi debetur.*

LXV. Ex quo Suarii discursu apparet, quod suppositivitas seu personalitas substantiæ extrinsecus addatur, ita ut tamen intrinsecus substantiæ maneat conjuncta: quod est *ratione subjecti esse intrinsecum, non ratione essentia.* Unde ita erit substantia suppositivitatis subjectum, quod nostra sententia intendebat.

*Substantia* LXVI. Ecce nunc habemus hoc, quod substantia sive *pertinet ad natura*, nempe substantia prima, *pertineat ad materialem* *materialem suppositi quidditatem, INSTAR SUBJECTI*, hoc est, substanti-  
*Suppositi quidditate.* stanti-



stantiam esse rem illam seu illud, quod à supposito denomi-  
natur. Nunc unicum hoc restat inquirendum, *in quonam*  
*FORMALITER Suppositum* consistat; vel quænam sit illa  
ratio, per quam Suppositum constituitur, & propter quam  
dicitur Suppositum.

LXVII. Illustris sanè illa & potissima circa suppositi  
quidditatem contemplatio, quæ *ipsam propriam Suppositi es-*  
*sentiam* attingit, quæ *unicè distinguitur Suppositum à reliquis*  
*primis substantiis, quæ non sunt proprium suppositum*: Sed quia  
illa disquisitio prolixior meretur explicationem, ideò pe-  
culiariter & seorsim illam *FORMALEM SUPPOSITI RA-*  
*TIONEM* excutiemus in sequenti disputatione. Nimis enim  
prolixum foret, si hîc omnia vellemus expedire.

LXVIII. Saltem hîc breviter notes, quod *Supposit ali-*  
*tas dicat subsistentiam incommunicabilem*, hoc est, perfectissi-  
mum subsistendi modum, quo id, quod est Suppositum, in-  
dependenter subsistit, ita ut non innitatur alteri tanquam  
sustentanti. Dico suppositalitatē significare *perfectissimum* *Formalis*  
*subsistendi modum*. Non enim quævis subsistentia dicitur sup- *ratio Sup-*  
positalitas, aliàs omnis substantia esset suppositum, cum o- *positi quæ-*  
mnis suo modo subsistat, hoc est, non inhæreat in alio, tan- *nam sit.*  
quam in subiecto, ut supra visum est: sed *ultima subsistentia*  
*tantum ponit Suppositum*, videl. illa, *quæ est ultimus terminus*  
*substantie complete, per quam ita ultimo determinatur & per-*  
*ficitur in ratione existendi, ut amplius non sit unibilis cum alio*  
*vel ad aliud, à quo sustentetur, & à quo dependeat in subsistendo.*

LXIX. Unde Suppositum ita describitur in abstracto. *Suppositum est subsistentia incommunicabilis substantie prime* *Suppositæ*  
*complete*. Vel in concreto ponatur ita: *Suppositum est sub-* *definitio.*  
*stantia perfectissimo modo per se subsistens, non includens unio-*  
*nem ad aliud, nec habens dependentiam ab aliquo sustentante.*  
Sic omne corpus in se principaliter & per se subsistens, quod  
non sustentatur ab alio unito, est Suppositum. Sic omne ani-  
mal,



*mal, omne brutum sibi relictum est suppositum, ut equus, canis, gallina, passerulus, &c. Sic omnis homo extra uterum maternum constitutus, & sua nuda natura relictus, est suppositum, & insuper persona vocatur, cum sit rationale seu intelligens suppositum, qua ratione & angeli dicuntur personæ. Notanter dico, quod homo sua natura nuda relictus sit persona. Nam Christus est quidem verus homo, sed Humana Christi natura non constituit propriam personam, quia est elevata supra statum humanæ naturæ proprium, & assumpta in subsistentiam τὸ λόγῳ Dei, in qua nunc subsistit, ut ita unam personam seu unum Suppositum constituat divina & humana Christi natura. Unus enim est mediator, Christus θεῶν ἁπάντων. Quæ omnia planius & plenius in seqq. expedientur.*

*P O R I S M A T A.*

*1. Suppositum solius substantiæ proprium est. hoc est, Suppositum saltem iis competit, quæ sunt è genere substantiarum. Non enim accidentia suppositantur, sed inhaerent in alio, in quo subjectantur per suam inhaerentiam: neq; unquam accidens ullum esse potest suppositum, si maximè separatum existeret, per potentiam Dei, à subjecto.*

*2. Non omnis substantia est Suppositum. E dictis. Illa enim tantùm sivevit appellari Suppositum, quæ maximè & principaliter subsistit sine unione alterius, à quo in existendo sustentetur. Ergo nulla pars est Suppositum.*

*3. Suppositum non est, nisi quod substantia prima est & completa. E dictis, quia suppositivitas ultimò complet existentiã substantiæ creatæ, eamq; completè determinat in modo subsistendi.*

*4. Non planè idem sunt Suppositum & substantia prima completa. Ratio est, quia substantia prima completa realiter existere potest, si maximè non est Suppositum; uti suprà probavimus thes. 57. itemq; hac de re mox disputabitur.*

*5. Suppositum non saltem ratione, sed ex parte rei formaliter*



*liter distinguitur à substantiâ primâ completâ. Ratio est, quia aliquid positivi superaddit substantiæ, seu (uti loquuntur autores) naturæ, nempe supposititalitatem, quæ est modus realis & extra rationem substantiæ. Intelliges verò Suppositum creatum. De hoc enim tantum agimus, non de Increato.*

6. *Substantia non est genus Suppositi & persona, sed ejus subjectum. Scilicet supposititalitas sive personalitas est terminus & determinatio substantiæ, ut in thesibus probatum est.*

7. *Debetur quidem omni substantiæ primæ completæ, ut per se subsistat ultimè & supposititaliter, sed sæpè contingit, ut ad ultimam illam determinationem non perveniat. hoc est, omnis substantia prima completa, in statu naturali perfectò constituta, vi naturali est Suppositum, si modò sibi relinquatur, & non cum alio subsistente uniatur. Quando autem contingit, ut cum aliâ substantiâ componatur & uniatur, tum propter illam compositionem & unionem amittit suam propriam supposititalitatem, ita ut alieno termino claudatur, & alterius suppositi subsistentiâ contineatur.*

8. *Natura singularis sive substantia prima in se indifferens est ad existendum in supposito proprio vel alieno. Scilicet non omnis substantia creata, etiam completa ubiq; est Suppositum; multò minus ita necessariò & essentialiter est suppositum, ut nequeat alieno suppositari supposito. Quod ipsum, quàm luculentissimè patet ex mysterio incarnationis, ubi humana natura est adsumta in alienum Suppositum, nempe in subsistentiam & λέγῃ.*

9. *Si Suppositum ad naturam comparetur, distinguuntur tanquam includens & inclusum. Etenim Suppositum includit naturam (substantiam primam) & aliquid addit, quod supposititalitas seu personalitas aut subsistentia creata appellari potest. Natura verò ex se præscindit ab hoc addito seu à subsistentia. Suarez disp. 34. sect. 2. n. 20.*

10. *Omnis substantia prima vel est Suppositum proprium, vel in*



*vel in supposito alterius. Vel ita: Omnis substantia prima vel sola vel cum aliâ est unum Suppositum, licet non semper quævis substantia per se solitarie constituat suppositum: ubiq; tamen semper est in alterius supposito, à quo sustentatur. Sic sal aquæ permixtum non quidem constituit peculiare Suppositum, sed in supposito aquæ sustentatur, & unum suppositum cum aquâ est.*

II. *Omne Suppositum est substantia prima vel sola vel cum aliâ, scil. in creaturis. Sic equus ut suppositum est, ita etiam substantia prima. Nonnunquam autem fit, ut in uno supposito sint duæ substantiæ primæ, ut in supposito ferri ignis, est natura ferri & natura ignis: Similiter in poculo deaurato est substantia poculi & substantia auri, ubi tamen unum est Suppositum.*

### Q U Æ S T I O U N I C A.

*Quomodo Goslavius probet substantiam esse personæ genus.*

*Quæstio est Synonymica. Ergo è natura Synonymorum illam merito examinamus. Ita verò adversarius summam concludit part. 1. disput. cap. 4. Quæ omnia annon luculenter testantur suppositum non alio rerum ex genere esse quam ex eorum, quæ per se stant? Quid enim aliud est subesse omnibus, quam per se stare? Quid ultimò esse terminatum, quam hoc idem? Ut videatur scholasticis suppositum nihil aliud esse, quam quod Aristoteli est ultimum subjectum. Indè argumentatur ita:*

*Illud de quo cætera dicuntur, ipsum verò non dicitur de ullo alio, est ultimum subjectum.*

*At Suppositum tale est. Ergo est ultimum subjectum.*

*Hoc autem quia sit substantia maximè & propriè 7. Met. c. 3. & 8. Met. c. 1. Quâ tandem fronte abs te negatur in ratione Suppositi substantiam includi? Hæc Goslavius. Resolvamus illum discursum logicè, & primus erit Syllogismus hoc modo:*

*Quicquid subest omnibus, id per se stat.  
Suppositum subest omnibus. E.*

*Ita.*



Ita primò concludit adversarius, sed valdè impertinenter. Debebat enim concludere Suppositum *Synonymos* esse substantiam. Quæritur enim *de genere Suppositi* sive Personæ: Ille verò saltem concludit, quod *aliquo modo realiter* Suppositum sit substantia, id quod non negatur, sed hoc negatur, *formaliter esse substantiam*. Suppositū ratione materiæ omnino subest omnibus, & ita per se stat, sed inde non sequitur. E. Substantia est genus Suppositi vel personæ. Deindè alter Syllogismus erit hic:

*Quicquid ultimò est terminatum, illud per se stat.*

*Suppositum ultimò est terminatum.* E.

In eodem hic est peccato cum priore. Suppositum *concretè sumtum* & quoad materiam est substantia. Sed hoc est, quod quæritur, an *in ratione formali* includatur substantia. Quod ipsum ex dato Syllogismo nequaquam conficitur. Nam Præmissæ sunt *Paronymicæ & concretivæ*. Ut major saltem hoc dicit: *Illæ res, quæ ultimò est terminatæ, illæ etiam per se stat, & ita materialiter loquitur de eo, quod per se stat, non secus, ac si ita vellem inferre.*

*Quicquid certis finibus est terminatum, illud est dependens.*

*Angelus certis finibus est terminatus.* E.

Ibi ut saltem sunt *paronymicæ præmissæ*: ita saltem inferitur, angelum *paronymos esse dependentem*: non verò quasi angelus *formaliter* sit dependens, aut quod essentia consistat in dependentiâ. Similiter Goslavius in suo Syllogismo tantum inferebat *paronymicam conclusionem*: non verò *Synonymicam*, quasi substantia sit *genus suppositi*: quod ex Minore ejus Syllogismi adhuc est planius, quæ apertè est *paronymicæ & in concreto*. Neq; plus inferitur ex illo Syllogismo Goslavii *de ultimo Subjecto*. Suppositum concretè sumtum est ultimum subjectum: sed an formaliter sit, hoc est, quod quæritur, & hoc nunquam ab adversario probatur. Porro ita colligit.

*Ult.*



*Ultimum subjectum est maxime & proprie substantia.*

*Suppositum est ultimum Subjectum. E.*

Adhuc nondum infert *Synonymicam conclusionem* adversarius, quod tamen vi status quaestionis debuisset: sed saltem hoc, quod proprie & maxime sit substantia. *Paronymas* qua dicuntur, etiam proprie & maxime dicuntur. Ergo adhuc nihil obtinet Goslavius. Nos enim damus *verè & proprie substantiam denominari suppositum*, illo respectu, quo denominatur ultimum subjectum, nempe quoad materiam sive naturam. Sed fortè Goslavius in hoc fundat suum discursum.

*Quicquid est ex genere substantiarum, ejus genus est substantia,*

*At Suppositum ita se habet. E.*

Jam quidem *Synonymas* & vere concludit. Sed *major* ita corrigatur.

*Quicquid directè, per se in lineà rectà est ex genere substantiarum, ejus genus est Substantia.*

Jam verò negatur *minor*. *Suppositalitas* enim (sive suppositum formaliter & abstractè sumtum) est modus substantialis & saltem reducitur ad prædicamentum sui subjecti. Apparet ergo, quomodo Goslavius ubiq; *confundat Synonyma cum Paronymis: & concretum Suppositum cum abstracto*: Et sic nunquam verè concludat, quod erat in quaestione.

F I N I S.





AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle

003 357 104


3











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

22

ALIS  
 YSICÆ  
 TIO II.  
 SITO,  
 I SUPPOSITI  
 TRA GOSLAVIUM  
 DIRECTA,  
 JEHOVA  
 rimâ  
 M ACADEMIA  
 SIDIO  
 SCHARFII,  
 tadensis, Facultat.  
 djuncti,  
 & defendendæ  
 S Kretschmer/  
 nsis Sil.  
 ris matutinis, in  
 sophico.  
 ERGÆ,  
 ISTIANI THAM,  
 pogr.  
 C XXIV.

